



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

V. Appellatio ab abusu, à judiciis Episcoporum in negotio ecclesiastico, ante Concordata, ex Aufrerio. Distincta erant rescripta ob Pragmaticam infractam, & appellationis ab abusu. Primo casu non ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15591**

penderent, is profectio restauratam plenissime in Gallia his Concordatis regia tutionis auctoritatem inveniet. Franciscus vero, ut se ab onere expediendarum litium eximeret, curam custodiendae pacificationis in Curias Parlamenti refudit, literis hac de re datis anno millesimo quingentesimo decimo septimo. Ex eo tempore, quemadmodum olim, si quid adversus decreta canonum & formam à Pragmatica Sanctione praescriptam actum esset, querela ad Regem, deinde ad Senatum delata, omnia restituiebantur in integrum, ita etiam Concordatis violatis, Senatus officium imploratum est per appellationes ab abusu.

III. *Abusus* quidem dictio foro nostro ab aliquot saeculis in hoc causarum genere non erat incognita; quamvis appellationis formula nondum frequentaretur. Etenim Durandus Mimatensis Episcopus monuit, seculares iudices solitos illa tempestate, id est, ante trecentos & triginta annos, hac exceptione iudices ecclesiasticos de turbata jurisdictione conquerentes repellere, quod eorum actus essent abusus. Eodem tempore Ioannes Parisiensis Theologus scripsit, *abusum* gladii spiritualis, quo seditio excitaretur, repellendum esse per gladium temporalem Principis, cum moderamine. Deinde anno MCCCLXXXV. Procurator Regius asseruit Regis officium in eo versari, ut revocari faciat omnes interpretatas, offensiones, & abusus per jurisdictionem spiritualem in jurisdictionis temporalis praedictum factos vel factas. Post Concilium Constantiense vox ista frequentius usurpari coepit, quia tunc discussa est plenitudo potestatis ecclesiasticae, & tractatum de illius legitimo usu regulis quibusdam praescribendo, ne non tam uti plenitudine potestatis contingeret, quam *abuti* plenissime, ut loquitur Gerson. Hoc verbum deductum est à Simplici Papae vulgato loco, relato apud Gratianum: *Privilegium dignitatis meretur amittere qui permissa sibi abutitur potestate*, id est, qui fines potestati suae assignatos à lege aut à canone transgreditur, qui porrigit se ultra quam sibi concessum sit. Vnde Hadrianus II. Hincmaro exprobrat quod ministerio juris episcopalis abuteretur: *Miranda est plane vestra fraternitas, inquit, quare ministerio juris episcopalis in regionibus illis abutitur*. Sigebertus eo sensu vocem illam usurpavit, de Urbano II. & Guiberto loquens: *Dum alter in alterum excommunicandi auctoritate, magis ex suo libitu, quam ex iustitia respectu, abutitur, auctoritas illius qui dedit potestatem ligandi & solvendi omnino despiciuntur*. Quin & Robertus Lincolnienfis: *Non potest sanctissima sedes apo-*

*stolica aliquid vergens in huiusmodi peccatum vel mandare vel praecipere. Hoc enim esset suae potestatis abusus.*

IV. Ceterum etsi *abusus* significatio quamcumque ministerij spiritualis aberrationem complectatur, sive in negotiis ecclesiasticis, seu in temporalibus versetur, ut patet ex testimoniis jam relatis; attamen formula appellationum ab abusu specialiter accommodata est à Pragmaticis antiquis querelae illi quae à Clericis adversus vim iudicum ecclesiasticorum ad magistratus regios deferretur, sive de rescriptis Romanae curiae conquerantur, sive de iudiciis Episcoporum. Etenim ante Concordatorum editio-nem Procurator Capituli Parisiensis à decima indictione quam anno MDI. Alexander VI. in Gallia exigi iusserat ad juvandas universales Ecclesiae necessitates, appellavit Papam melius consultum, synodum universalem primò celebrandam, necnon supremum Dominum nostrum Regem Christianissimum ecclesiasticae libertatis conservatorem piissimum, & ad eius supremam Parlamenti Curiam, ac ad illum vel illos ad quem seu quos de iure vel consuetudine in hac parte provocare & appellare licet. Quae verba observanda sunt, ut inde pateat in hoc casu appellationem ad Regem subsidiariam fuisse appellationi ad Concilium, in hac enim de iniquitate, in altera de abusu tantum disceptari potest, & unius subsidio juvabantur appellantes, dum alterius praesidium expectabatur. Ita enim distribuenda sunt verba quae sequuntur: *Et quia hanc appellationem prosequi poterò per viam nullitatis, iniquitatis, excessus, vel abusus, aut aliam quam ex his duxero, optio mihi seu dictis Dominis meis semper reservata*. Solet allegari à viro doctissimo Choppino & aliis Pragmaticis, ad probandum usum harum appellationum ab abusu, provocatio interposita per Petrum Courthardi Advocatum Regium à monitione quam Innocentius VIII. anno MCCCCXXXVIII. decrevit adversus Flandros regno Galliae subditos. Sed formula illa non ad Regem aut Curiam Parlamenti dirigitur, verum ad Papam modernum melius informandum, & sanctam sedem apostolicam, seu ad eum vel eos ad quos iure provocare potest vel debet. Quamvis ea sententia esset, tum Petri Courthardi, tum Ioannis de Nanterre, qui anno MCDLXXXIV. à legatione Balluae Cardinalis à Sixto IV. imposita ipsum Sixtum vel eos appellaverat qui appellandi essent; ut pendente illa appellatione nihil innovaretur, omnemque innovationem Princeps suae auctoritatis praesidio impediret.

V. Eas quoque appellationes ab Episco-

L I iij

Durand. T. 2. de modo Concil. gen. edit. Kol. 70.

Ioan. Parif. cap. 21. de potest. reg. & Pap.

Tam. 1. Lib. c. 7. n. 17.

De potest. eccles. Concil. x.

C. Fin. Dist. 74. c. Privilegium 21. §. 1.

Hincmar. in ep. ad Hadr.

Sigebertus in tract. de Vitae Eccles.

Apud Monachum Pithin Henrico 111.

Tom. 11. Libert. C. IV. N. 2111. & C. 2111. B. 14.

porum judiciis interpositas, ante Concor-  
datorum editionem invecas fuisse in forum  
docet Stephanus Aufreus in opusculo suo  
quod excusum est anno millesimo quingen-  
tesimo decimo quarto. Vnde duo quadam  
colliguntur quæ ad hujus dissertationis illu-  
strationem valde conducunt. Vnum est, ju-  
risdictionem regiam se tunc rebus ecclesia-  
sticis immiscuisse in presenti regno, ubicunque  
per Prælatos, Clericos, vel alios quoscunque ali-  
quid fit vel attentatur contra decreta Basileensis  
Concilij & Pragmaticam Sanctionem. Alterum  
est, ubi ecclesiastica potestas abutitur notoriè sua  
jurisdictione vel potestate. Quo casu etiam contra  
Clericos concedi solent per Cancellariam litere in  
casu appellati ab abusu notorio vulgariter nuncupa-  
te. Quare distincta & separata erant rescrip-  
ta illa, ob Pragmaticam infractam, & ap-  
pellationis ab abusu. Pragmatica violata  
rei in jus vocabantur, nulla appellationis  
mentionem injecta, eleganti ratione. Quia  
cum de actus vel sententiæ nullitate quære-  
retur, necesse non erat ut ex provocatione  
ageretur; quemadmodum docet Titulus  
Codicis, *Quando provocare non est necesse.*  
Quam provocandi necessitatem eo casu ex-  
pressa etiam Decretalium verba remove-  
runt; imò verò huic remedio nullitatis, etiam  
post varias sententias, locum esse voluerunt.  
In ceteris articulis, qui Pragmatica non  
continebantur, atque adeo eorum nullitas  
nondum erat constitutione aliqua præjudi-  
cata, appellatione utebantur; sed ea cautio-  
ne, ut abusus mentio injiceretur; ne quis  
existimaret magistratum consilium illud  
fuisse, ut ecclesiasticam jurisdictionem secu-  
lari submitterent. Quare non de re ipsa se  
judicium suscepturos, sed de potestatis abu-  
su extraordinaria cognitione habita, protec-  
tionis jure oppressis opitulatos hac for-  
mula profitebantur. Simplicem enim & me-  
ram appellationem à Curia ecclesiastica ad  
Curiam regiam nunquam in Gallia admis-  
sam fuisse fatentur Petrus de Cuneris, Ma-  
fuerius, & Ioannes Galli. Appellationum  
autem ab abusu frequentiam induxit Theo-  
logorum Parisiensium, præcipue Ger-  
sonis, sententia, qui adversus excommuni-  
cationes nullas, morem majorum secutus,  
Principum secularium præsidium implorari  
licite posse scripserat: *Contemptus clavium  
non semper invenitur apud illos qui nedum non  
obediunt sententiis excommunicationum promul-  
gatis per Pontificem vel suos, sed etiam non est  
judicandus apud illos qui per potestatem secula-  
rem adversus tales preteritas sententias tueri se  
procurant. Lex enim naturalis dicitur ut possit vis  
vi repelli. Constat autem quod tales excommuni-  
cationes non debent dici jus, sed vis & violentia;*

contra quam fas habet liber homo vel animus se  
tueri.

VI. Dubitabat Aufreus quo jure nite-  
rentur istiusmodi appellationes. Attamen à  
magistratibus regis capita aliquot è Grati-  
ani Decreto petita proferebantur, quorum  
ille meminit. *Audivi tamen,* inquit, *frequen-  
ter Officiarios pro hoc dicere esse bonum textum in  
c. Filiis vel nepotibus. 16. q. 7. Quibus ego res-  
pondi dictum canonem esse correctum, ut tenet Si-  
culus in c. Qualiter. De judiciis. Sed ulterius mi-  
hi allegaverunt regiam majestatem ad hoc inter  
alia fuisse institutam ut ministros Ecclesie, id est,  
viros ecclesiasticos protegat; cum boni Regis sit  
tueri Ecclesiam & personas ecclesiasticas. Vnde  
dicit textus 96. dist. Boni Principis est ac reli-  
giosi Ecclesias contritas atque concisas res-  
taurare, novisque ædificare, ut Dei Sacer-  
dotes honorare ac tueri. 23. q. 8. c. Tributum.  
ibi, quia nos tueri & defendere deberent; Et  
c. Principes. 23. q. 5. ibi: Cognoscant seculi  
Principes se esse rationem reddituros prop-  
ter Ecclesiam quam tuendam suscipiunt. Et  
23. q. 3. c. Maximianus. & 2. c. seq. & 2. q. 1.  
Christianis, dum Gelasius Papa Zeia Comiti  
ait: Clericos tibi committo, ut tuæ sublimi-  
tatis tuitione vellentur, ne quid illis aut fur-  
reptio aut inimica legibus violentia neces-  
sitate imponat. Dicit etiam textus 23. q. 5. Ad-  
ministratores planè secularium dignitatum,  
quæ ad Ecclesiarum tuitionem, pupillorum  
ac viduarum protectionem, rapaciumque  
refrenationem constitutæ proculdubio esse  
debent, quoties ab Episcopis & ab ecclesia-  
sticis viris conveniæ fuerint, eorum queri-  
monias attentius audiant, secundum quod  
necessitas expetierit, absque negligentia  
examinent, & studio diligenti corrigant.  
Facit textus in c. Imperatoribus, ubi dicit per  
Imperatorem obviandum perverfis, & pau-  
peres defendi adversus potentias divitum.  
alioqui qui potest perturbare perverfos, &  
eis obviare, & non facit, nihil aliud est  
quàm favere impietati eorum, c. Qui potest  
ead. c. & q. Insuper Regum est officium pro-  
prium, facere judicium atque justitiam, &  
liberare de manu calumniantium vi oppres-  
sos, ut in c. Regum 23. q. 5. Præterea Archiepis-  
copus notoria crimina subditorum sui suffraganei  
vistando punire potest, ratione hujus notorietatis.  
quod aliàs facere non posset, ut in c. Romana.  
§. sanè. De censibus lib. 6. & facit c. Romana.  
de pæn. eod. lib. Allegant insuper quod regia po-  
testas ad id etiam noscitur instituta, ut sanctorum  
antiquorumque patrum decreta saluberrima spiri-  
tu Dei promulgata exequi faciat & inviolabiliter  
observari. In auth. Quom. oport. Episc. in Princ.  
col. & in l. fin. C. de summa Trinit. & multas  
alias rationes pro se soliti sunt allegare. Nunquam*

Aufreus in Tra-  
ctatu de potest. se-  
culi. super Eccl. in  
Regula 2. Fallen-  
tia 30. & 31.

C. 1. de sent. & re  
judicio. Clem. 1.  
eod. tit.

Petrus de Cuneris  
art. 14.  
Mafuerius T. de  
appellat. §. 24.  
Gallus q. 467.

Gerfon in Tra-  
ctatu de materia ex-  
com. & irregul.  
Cousid. x.

Aufreus ibi  
loco.

De F  
p. 11

In  
not. C.  
Tutor  
in comp.  
c.

Vide de  
P. 11  
47-11

Secundum  
hunc  
p. 11